

De

## DELPHICO ORACULO

quid existimandum sit, disputatur.

Totius injustitiae nulla capitalior, quam eorum,  
qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni  
esse videantur.  
Cicero.

De oraculis quae dicuntur, adeo multa scripta sunt et separatis et in libris eorum, qui totius antiquitatis scientiam tenere existimantur, ut qui de his rebus denuo agere incipit, vix habeat novi quidquam, quod proferre possit. Et tamen re accuratis perpensa et considerata fortasse non pauca sunt, in quibus aliter, atque viri illi doctissimi docent, statuere debeas. Ac primum quidem nobis constare videtur, de oraculis deque eorum natura et ratione viros doctos non semper idem sensisse et hic quoque quasi judicandi consuetudinem quandam aliam aliis temporibus obtinuisse. Atque concedi debet in his rebus non omnia ita ad liquidum perduci posse, ut nihil usquam dubitationis relinquatur. At ubi jam res eo dedueta esse videtur, ut certe via, qua ad veritatem proprius accedere possis, sit quodammodo inventa atque aperta, tum illa via relictam reverti velle ad statum veterem, vereor, ne ferendum sit.

Talis videtur nobis esse causa oraculorum. Nam quum fuerint nuper, qui recte intelligerent, ab oraculis non semper fraudes aliasque id genus praestigias abfuisse, nostris temporibus sunt iisque totius fere antiquitatis disciplinae duces et quasi signiferi, qui ut oracula omnino, sic in primis Delphicum summis laudibus effere non dubitent.<sup>1)</sup>

Hos viros errare putamus — pace eorum dictum sit, nec aliam causam reperire possumus, quod in errores se delabi passi sunt, nisi nimium quoddam Graecorum studium et in eos amorem, qui etiam prudentissimos interdum acute videre prohibet. Quod enim quisque adamavit et diligit, id vitiosum esse aut maculis deformari difficillime sibi persuadere solet.

1) In eorum numero referendi sunt: C. Fr. Hermannus; L. Prellerus; Fr. Kortüm; C. Fr. Naegelsbach; Chr. C. J. Bünsen; Fr. G. Welckerus; aliique, ut G. Fr. Schoemannus; E. Curtius.

At etiamsi decorum sit, id quemque amore complecti, quod sibi sumsit ad elaborandum, tamen non minus decet usque quaque veritati studere nec pati nos abripi in admirationem eorum populorum, qui ut excellebant magnis virtutibus, sic non minoribus vitiis laborabant et insignes erant. Nec video, quid nos ita facere vetet, quum eae res, de quibus agitur, tam longis saeculorum intervallis a nostris temporibus sint dis junctae, ut nullo modo ad nostrum hodiernae vitae sensum pertinere possint. Neque enim ullis, credo, aut religionis ac fidei vinculis, aut rerum publicarum legibus aut vitae moribus tenemur, quo minus quam diligentissime de Graecorum oraculis quaeramus et, quidquid reperimus, quam apertissime pronuntiemus. Qua in re non negandum est longe aliter nos versari posse ac Socratem et Platonem eorumque aequales, qui quamvis in rebus haud paucis a suorum civium opinionibus vetustate corroboratis recederent, et minime eadem atque reliqua multitudo de diis sentirent, non tamen poterant facere, quin in aliis accepto a majoribus mori, id est, superstitioni indulgerent. Constat enim inter omnes, qui de Socrate memoriae prodiderunt, et sacrificasse eum non occulte, sed palam atque aperte quum domi tum communibus in aris civitatis, et divinatione usum esse, qua, ut tum erant tempora, hominibus a diis futura significari censebat.<sup>2)</sup> Atque erat in primis Apollo Delphicus, Graecis patrius deus, cuius ad jussa atque oracula tanquam ad regulam totius suae vitae rationes accommodare, dirigere, fingere studebat.<sup>3)</sup> Platonem autem satis superque notum est in rebus divinis omnia ad eundem deum tanquam ad summum religionum interpretem retulisse eique ut arbitro instituenda reliquisse.<sup>4)</sup> Nihil est enim homini carius et acceptius quodque ei difficilius eripi possit, quam a majoribus ei traditus mos et religio, in quibus etsi interdum novas res quarere, nova moliri, novis rebus studere conatur, tamen id facere non solet, nisi certis quibusdam circumscriptus finibus, ultra quos vix eum et ne vix quidem progredi videris. Adeo valida est vis consuetudinis.

Sed redeat oratio, unde exorsa est. Diximus minus acute illos viros doctissimos vidisse in illis rebus, quae ad oracula Graecorum spectant. Atque fecimus id propterea, quod nobis de Delphico, quod in iis rebus inter omnia eminent, non tam ex veritate, quam e nimio in Graecos studio et amore judicasse videntur<sup>5)</sup> In qua re quod eorum sententiis accedere nolumus, jam nostrum erit videre, quid omnino de oraculo illo existimandum sit. Sed priusquam ad hanc rem aggrediamur, quaedam de divinatione et de oraculis praemonenda esse videntur, non ita quidem, ut singula persequamur, sed ut

<sup>2)</sup> Xenoph. Memor. I, 1, 1—10; I, 3, 1; IV, 3, 16.

<sup>3)</sup> Plat. apol. Soor. p. 21 A. sq. et p. 23 A. sq.

<sup>4)</sup> Cf. de rep. IV., p. 427 B.; de legg. VI., p. 759 C; VIII., p. 828 A. sq.

<sup>5)</sup> Cf. nimias laudes, quibus illi viri Delphicum oraculum exornant: C. Fr. Hermann: Lehrbuch d. griech. Antiquitt. pars 2. Heidelberg 1846. §. 40 6 sq. — Preller in Pauly's Realencyclopäp. d. class. Alterthw. s. v. Delphi. — Kortüm: Geschichte Griechenlands. Tom. I. Heidelberg 1854. p. 80 sq. — Naegelsbach: Die nachhom. Theologie des griech. Volksglaub. Nürnberg 1857. p. 181 sqq. et p. 185 sqq. — Welcker: griech. Götterlehre, Tom. II. Götting. 1860. p. 16 sqq. — Etiam Bunsen: Gott in der Geschichte, pars 2. p. 281 sqq.

nobis viam aliquam aperiamus, qua ad ea, quae nobis demonstranda proposuimus, pervenire possimus.

Atque ut in hac re incipiamus a Cicerone,<sup>6)</sup> quem non tam despiciendum esse putamus, quam hodie fere moris philologorum esse solet, statim is ab initio disputationis suae de divinatione nos docet, jam inde ab antiquissimis temporibus versari quandam inter homines divinationem creditum esse. Nullam quidem gentem neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbarem fuisse, quae non indicari futura et a quibusdam praesentiri praedicique posse censeret. Idem Assyrios et Chaldaeos ex siderum stellarumque motibus ait putasse praedici posse, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Quam eandem artem etiam Aegyptii longinqua rerum novarum et miraculorum observatione consecuti esse traduntur, quum ex rebus iisdem aut similibus similia eventura esse putarent.<sup>7)</sup> Phryges autem et Pisidae et Cilices et his finitima Pamphylia et Arabum natio volatibus avium cantibusque ut certissimis signis declarari res futuras putabant.<sup>8)</sup> Sed inter omnes antiquitatis populos Graeci maximo divinationis quasi apparatu res futuras voluntatemque deorum et praenoscere studebant et explorare conabantur, nec solum esse revera divinationem aliquam credebant, sed etiam concludi eam ratione posse, ut Stoici maxime, evincere studebant.<sup>9)</sup>

Itaque mirari licet, quot sint excogitata a Graecis divinationis genera, quot praessionsis, quot praedictionis. Aves, somnia, exta, fulgura et fulmina, venti, imbres, terrae motus, omnino inusitatissima quaeque et quae maxime contra leges naturae evenire ab iisque abhorrere videbantur, largissimam divinationi, in qua versari poterat, materiam praebebant, quod talia non fortuita esse, sed quasi quaedam opera divina immissa credebantur, quibus di immortales futura hominibus quaeque impenderent praenuntiatur essent.<sup>10)</sup>

Erant praeterea res paene innumerabiles,<sup>11)</sup> quarum aliae aliis praedicendis augrandisque inservire putabantur. Esse ubivis omnium rerum causas vel maxime naturales, quibus inter se cohaerent aliaque ex alia apta esset et suspensa habereque quasque res, quae fierent, alias tales causas, ut fieri eas necesse esset, easque causas et necessitates diligenter esse investigandas et quaerendas, nemo cogitabat aut pauci certe animo comprehendere poterant.

Inter omnia haec divinationis genera primum locum obtinent oracula. — Oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inesse in iis deorum oratio credebatur.<sup>12)</sup> Scilicet eo prudentiae erant progressi illi homines, ut non solum per signa coelestia aliaque id

<sup>6)</sup> Cicero intellexit oracula superstitione nisa esse, quod ne Plato quidem perspicere potuit, cfr. ejus alterum de divinatione librum.

<sup>7)</sup> Cic. de divin. I., 1 et 42. Herodot. I., 82.

<sup>8)</sup> Cic. l. l. I., 1 et 41.

<sup>9)</sup> Cic. l. l. I., 38.

<sup>10)</sup> Herodot. VI., 27 et 98.

<sup>11)</sup> C. Fr. Hermann, gottesdienstl. Alterthümer §. 38, 16.

<sup>12)</sup> Cic. Topic a. 20.

genus visa plurima, qualia modo commemoravimus, declarare deos velle res futuras crederent, sed etiam cogi eos posse censerent, ut loquerentur et verba facerent hominibus. Sed ante omnia observandum est, ne nos hic decipi patiamur. Quum enim dii loqui dicuntur, id non est ita accipendum, quasi dii ipsi ora sua aperuerint et suam ipsorum vocem interrogantibus emiserint; minime id quidem, nec istud omnino fieri poterat, propterea, quod ut hodie, sic ne tum quidem Apollo ullus aut Jupiter aut alius deus quisquam erat. Qui loquebatur, nemo alias erat, nisi persona quaedam vel homo, divino huic muneri destinatus, cuius ore deus tamquam suo ad significanda ea, quae ei videbantur, uti credebatur. Ea autem ipsa, quae tali modo deus responsa interrogantibus edebat, saepenumero nihil nisi inanes verborum soni erant omnique sensu destituti. Nec id mirabile est. Ea enim ipsa persona, sive vir, sive femina ea erat, quae in responsis edendis quasi dei auctoritate agebat, semper, ut quidem Delphis factum est, priusquam verba faceret, ita variis modis atque artibus in tantam vel dementiam vel delirationem vel animi perturbationem conjiciebatur, ut plane desiperet et revera nihil nisi verba sonare posset. Nec vero ea verba, quae divino instinctu et deo incitante edi semper antistites sacrarii et sacerdotes persuadere studebant, minime frustra cadere solebant ab iisdemque sacerdotibus ita torquebantur, mutabantur, trajiciebantur, contexebantur, ut sensum inde talem exsistere necesse esset, qualem necessarium aptumque ad quasque res significandas judicabant,<sup>13)</sup> quamquam paulo is obscurior interdum semperque ambignus erat variamque interpretationem admittebat, quoties futura quaedam praedicenda erant. Quae autem tali modo tractata, formata, ficta versibusque plerumque et numeris clausa proponebantur, vulgo oracula dicebantur, quamquam locus etiam ipse, ubi petebantur, id est, quo homines consultum deos ibant, oraculum dici poterat.

Jam perspici potest ex iis, quae modo diximus, ea oracula, quae ferebantur, reapse non nisi sacerdotum atque interpretum arbitrio tribui debere. Nihilo tamen minus constat per tota antiquitatis tempora summam iis auctoritatem semper et fidem tamquam divinae mentis enuntiatis habitam esse. Nihil fere enim majoris rei nec publicae nec privatae ac domesticae non solum in paee sed multo magis in bello quoque tota Graecia gerebatur, nulla colonia in Aeoliam, Joniam, Asiam, Siciliam, Italiam missa est, nullum bellum suscepsum umquam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo. Nec reges potentissimi sua majestate dignitateque esse alienum ducebant, quin in turbidis suis rebus Delphos ad Apollinem aut in Africam ad Hammonem aut alio mitterent oracula consultum.

Jam quaestio oritur, num bona fide, ut dicunt, oracula instituta vel dicam inventa sint. Fuisse enim constat, qui in iis non nisi sacerdotum fraudes se animadvertisse putarent.<sup>14)</sup> Contra alii tantum aberat ut eorum sententiam amplecterentur, ut etiam

<sup>13)</sup> „Was im Zustande der Verzückung, die zuweilen so heftig gewesen sein soll, dass auf sie der Tod folgte, von ihr (der Pythia) ausgestossen wurde, gestalteten die umhersitzenden Propheten zu dem Sinne, den Priesterschlauheit, auf Gewinn bedacht, anrieth.“ Wachsmuth. Hellen. Alterthumskde. pars 2, sect. 2, p. 265. (ed. 1<sup>ma</sup>).

<sup>14)</sup> C. Fr. Hermann: Lehrbuch d. griech. Antiquitt. part. 2 §. 40 annot. 3.

laudibus oracula, in primis Delphicum, de quo acturi sumus, extollere conarentur. Atque ut statim dicam, quod sentio, mihi quidem persuasissimum est, ut omnia divinatio-  
nis genera, sic oracula quoque turpi fraudi, avaritiae, quaestui si non initium suum  
atque originem, at certe suam diuturnitatem et constantiam debuisse. Praeterea autem  
Delphicum oraculum Graeciae plus detrimenti et miseriae quam utilitatis attulisse, nec  
ea laude dignum fuisse, quae vulgo ei tribuitur, progrediente nostra disputatione de-  
monstrare studebimus.

Atque, ut inde initium capiamus, unde rem ipsam ortam esse verisimile est, pro-  
fecto ea tantummodo de causa oracula exstiterunt, quod quisque antea semper, quid  
futurum esset sibique impenderet, cognoscere quam rerum ipsarum eventum exspectare  
malebat. Quod si inveniebat, qui aperiri id posse persuaderet seque divinandi pra-  
sentiendique artis peritum esse aliqua qualicunque ratione fidem faceret, mirum, ni ejus  
fidem amplecteretur totumque se ei traderet. Quo facto alterum consentaneum erat  
operam dare, ut hanc sibi praestitam fidem servaret ac tueretur, quod et eo facilius ei  
contingere necesse erat, quo erat altero plerumque prudentior, callidior, astutior, versu-  
tior, et eo magis id curae erat, quo magis alterum divitem esse et instructum opibus,  
unde sumi posset, cognoverat.

Tales fuisse Delphicos sacerdotes, ex multis indicis perspici potest. Ac primum  
quidem quam cupidi fuerint vel auri argentine colligendi vel divitiarum et omnis generis  
opum quaerendarum, jam ex eo appareat, quod aut omnino oracula dare nolebant, nisi  
quis munera deo suo aliqua misisset<sup>15)</sup> aut, etiamsi darent, ipsis verbis ut ei mitteren-  
tur, admonere solebant.<sup>16)</sup> Omnino autem, quo quisque magis largitorem se et prodigum  
in donis deo Delphico dedicandis praebebat aut alio quovis modo munificus in  
eum erat, eo majora ei p[ro]ae ceteris jura et honoris praemia concedere parati erant.  
Quocirca verbi causa Croeso Lydisque pro eximiis Apollini donis missis in perpetuum  
et primas in consulendo oraculo partes et primae sedis honorem et immunitatem de-  
ferre non dubitabant et praeterea civitatem cuique dare, qui in suorum civium numerum  
vellet recipi.<sup>17)</sup> Quid? quod se ab Alemaeonidis pecunia corrumpi passi sunt, ut Spar-  
tanos incitarent ad Athenas a Pisistratidis liberandas?<sup>18)</sup> Quid? quod Pythia auctore  
quodam, qui apud Delphenses multum valebat, ad alterius arbitrium mentita est?<sup>19)</sup>  
Quid? quod Amphictyones, id est, dei Delphici ministros et satellites, adhortata est,  
ut Cirrhaeos vel Crissaeos, finitimos suos, dies noctesque bello perseverentur et terram  
eorum devastatam simul cum incolis captis Apollini Pythio et Diana et Latonae et  
Minervae Pronoeae consecrarent in perpetuam terrae cessationem, ut nec ipsi eam ara-

<sup>15)</sup> Euripid. Jon. v. 232 sq. ed. Kirchh. — Notum illud, quod fere in proverbium abiit: ἀνευ γαλκοῦ Φοῖβον μὴ μαρτύεσθαι, Boettiger Id. z. Kunstmystologie T. I. curs. I., p. 87.

<sup>16)</sup> Liv. V., 16, oraculum inter alia haec: „Bello perfecto donum amplum victor ad mea tempa portato.“

<sup>17)</sup> Herodot. I., 54.

<sup>18)</sup> Herodot. V., 63 et 90.

<sup>19)</sup> Herodot. VI., 66.

rent nec alium quemquam arare sinerent,<sup>20)</sup> nec satis habens se effecisse, ut id jure-jurando firmarent, id quoque ab iis impetravit, ut immanissima et foedissima devotione exsecrarentur et male precarentur, si quis eorum decretis parere noluisset. Scripta enim haec in ea fuisse legimus: „Si quis haec migraverit sive magistratus, sive privatus, sive populus, is sacer esto Apollini et Diana et Latonae et Minervae Pronoeae.“ Et devotioni adjecta erant: „iis terra fructus ne ferat, feminae similes patribus liberos ne pariant,<sup>21)</sup> sed monstra; greges secundum naturam ne iis partus edant; bello, jure, concione inferiores sint adversariis; perdit in perniciem ruant ipsi et domus et universum eorum genus; ne unquam litent nec Apollini, nec Diana, nec Latonae, nec Minervae Pronoeae neve hi dii deaeve eorum sacra accipient.“<sup>22)</sup> Si fuissent praeter haec mala alia, Pythia iis, credo, imprecata esset; dira sane devotio memorabilisque propterea, quod unicuique affert memoriam excommunicationum et proscriptionum sacrarum, quibus etiam aliorum populorum et temporum sacerdotes eos persecui solebant, quos suis jussis judiciisque repugnare adversarie cognoverant. Atque sic quidem Pythia vel potius Delphici sacerdotes; horum enim ad auctoritatem atque arbitrium sine dubio omnia ista referenda sunt, qui cur sic agere voluerint, ejus rei vix ulla alia causa reperiri poterit, nisi quod rebus hostium suorum florentibus se nullo fore numero ac loco opinabantur aut etiam quaestus suos ac redditus jacere credebant. Quid illud? quod ab Aeschine<sup>23)</sup> Demosthenes traditur dixisse Pythiam γιλιπτίζειν, id est, Pythiam quasi cum Philippo facere, Philippo studere? quo alio id spectabat, nisi ut eam a Philippo corruptam vellet dicere?

Hanc Delphicorum sacerdotum avaritiam aequaverunt opes et thesauri, quorum coacervandorum insatiabilem quandam iis fuisse cupiditatem diximus, adeo ut eos non puderet interdum oracula fundere, quae non possunt non aperire oculos cuique, qui videre velit, qualis horum oraculorum ratio et causa fuerit. Sed de his mox videbimus. Non solum autem auri argenteique maximam vim, signa, statuas, sellas, crateres, dolia, urnas, tripodes, aliasque id genus res plurimas et pretiosissimas et privati homines et Graeciae populi et reges exteri fano Delphico plena manu dedicaverant, sed etiam agri interdum et fundi et fructuum decimae Delphico deo consecrabantur<sup>24)</sup> aut eae a deo ipso exposcebantur ab iisque, qui in iis dandis parci erant, aliquo modo poenae sumebantur.<sup>25)</sup>

Sed omnis haec infinita multitudo thesaurorum et opum et divitiarum cui bono erat aut saluti praeterquam perpaucorum hominum delectationi et luxuria? Luxuriae enim et lautoris vitae studiis, epulis, deliciis iudulisse Delphos et sacrificiis viscerationibusque inhiasse cum natura rerum conjici potest, tum passim testimonii scriptorum

<sup>20)</sup> Aeschin. advers. Ctesiph. §. 107 sq. Max Duncker, Gesch. d. Alterth. IV. p. 37 sq.

<sup>21)</sup> Cf. Catulli carm. 61, v. 217 sq.

<sup>22)</sup> Aeschin. I. l. §. 109 sq.

<sup>23)</sup> advers. Ctesiph. §. 130. Plutarch. vit. Demosth. c. 20. Cic. de divin. II., c. 57.

<sup>24)</sup> Herodot. VII., 132; III, 57.

<sup>25)</sup> Herodot. III., 57, collat. Pausan. X., 11, 2. Götte, das delphische Orakel p. 66.

confirmatur.<sup>26)</sup> Usu venit, ut unum vel alterum *ἀράθημα* quibusdam diebus festis agitandis inserviret,<sup>27)</sup> plurima non nisi vanam et inutilem dei opulentiam adaugebant ac plerumque ad ostentationem tantum templique adornandi causa posita erant.<sup>28)</sup> Agri et fundi de communi hominum usu exempti, vasti et inculti jacebant, ita ut solitudines Pythia circum se efficere velle videretur.<sup>29)</sup> Tantum enim aberat, ut fructibus ferendis aut ulti alii rei bonae destinati essent, ut ne pascere quidem armenta in iis sacris locis cuiquam liceret.

Quare fieri non potuit, quin finitimae urbes ac gentes, ut jam antea efflorescere Delphensium res graviter ferre visae erant, sic has Delphoi templi rerum facultates et copias invidis semper oculis intuerentur iisque quavis data occasione potiri conarentur, praesertim quum Delphenses studium quoddam suis institutis ac legibus vivendi prae se tulisse videantur.<sup>30)</sup> Hinc illi conatus exterarum gentium ac nationum Delphici templi diripiendi, qui hie illic ab historicis commemorantur.<sup>31)</sup> Hinc illae variae de Delphici sacrarii possessione inter potentissimos Graeciae populos contentiones, hinc illa bella sacra quae dicuntur, quae quamquam ad res dei Apollinis sacras defendendas suscipi dicebantur, nihil tamen nisi id spectabant, ut potentissima quaeque civitas maxime earum rerum compos fieret.<sup>32)</sup> Nam pecunias sacras interdum attractatas et in usus bellicos conversas vel potius ablatas esse multis indicis colligi potest<sup>33)</sup> Nolumus autem hic exponere, quantae haec sacra bella Graeciae perniciei fuerint, quot quantaque negotia ei exhibuerint, quas turbas, lites, discordias, factiones, quae odia non solum inter civitates et populos sed etiam inter singulos moverint et ad extremum Graeciam alieno imperio subjecerint, id tantum perspectum velimus, quemadmodum Romae agrum publicum cum tribunis plebejis, sic in Graecia possessiones et opes Delphici oraculi cum Amphictyonibus ad interitum libertatis fatales fuisse.

Superest, ut de oraculis quibusdam videamus, quae Pythiam, ne dicam dei Delphici sacerdotes, dedisse historici perhibent, quae quum satis memorabilia et cognitu digna sunt, tum haud scio an totam hujus instituti naturam et indolem prodant et contineant. Nam quod dicunt oraculum tamquam deorum quoddam judicium auctoritate et consilio summam rerum Graeciae totius administrasse et usque quaque aut monendo aut dehortando aut jubendo rerum civilium et privatarum et divinarum quasi gubernacula tractasse sapienter et populis saluti,<sup>34)</sup> id quidem ita verum est, ut Graeci non

<sup>26)</sup> Hom. hymn. in Apoll. 535. Athen. IV., p. 173 d.

<sup>27)</sup> Herodot. I., 51.

<sup>28)</sup> C. Fr. Hermann, griech. Antiquitt. II. §. 20, 8.

<sup>29)</sup> Ibid. 10. Sophoc. Trachin. v. 200 ibique Schol.

<sup>30)</sup> Lachmann, Geschichte Griechenl. II., p. 59 sq. Preller in Pauly's Real-Encyclopädie d. class. Alterthw. II., p. 904. Thucyd. V., 18.

<sup>31)</sup> Pausan. X., 7, 1. ibid. 19, 4 sq. Justin. XXIV., 6. Ctesiae fragm. de reb. Persic. §. 25 et 28.

<sup>32)</sup> Cfr. Schaefer, Demosth. u. s. Zeitalt. T. I., p. 448, 1. cfr. quem laudat, Boeckh. d. Staatshaush. d. Athener T. I., p. 779 sq. Not. (ed. 2da).

<sup>33)</sup> Thucyd. I., 121. I., 143. IV., 118. Cfr. Herodot. V., 36.

<sup>34)</sup> Kortüm, Gesch. Griechenl. Bd. I., p. 80 f. Cf. Hermann. griech. Antiquitt. Bd. II., §. 5, 7; §. 40, 6. — Naegelsbach, nachhom. Theolog. d. griech. Volksgl. p. 188. — Duncker, Gesch. d. Alter-

solum nullas umquam majoris momenti res nec publicas nec privatas nisi aut Delphis aut Dodona aut ab Hammone aut aliunde oraculo petito agere vellent, sed etiam eorum principes et duces atque etiam peregrini, ut Persae, oraculorum effata accuratissime cognita in iisque spes suas interdum positas haberent.<sup>35)</sup> Tanti enim momenti edita oracula aestimabantur, ut litteris consignari et servari solerent.<sup>36)</sup> Sed ex his omnibus non sequitur, ut omnis summarum rerum procuratio, omne imperium Pythiae voluntati atque arbitrio permissum fuerit. Quod etiam propterea fieri non potuit, quod oraculum plerumque partium studio tenebatur<sup>37)</sup> nec umquam erigere se potuit, ut circumspiceret et de universo rerum statu recte existimaret. Nunquam enim putavit suum esse, diversas Graecorum factiones inter se conciliare potius eorumque animos et cogitationes alio quovis flectere, quam sortes edere, quae nihil nisi saevissima in communis patriae gremio bella commoverent. Satis quidem constat, quemadmodum bellum illud Peloponnesiacum non sine voluntate Pythii dei a Spartanis susceptum sit, sic Pythiam quum alias fere semper, tum maxime illo bello in eorum partibus stetisse.<sup>38)</sup> Quodsi Apollinis erat θεμοτεύειν, id est, dare jura et leges, profecto aequius fuerat, utriusque populi — Spartanos dico et Athenienses — querimoniis auditis et discussis sedare litigantium iratos animos, quam auspicari bellum, quod Graeciam pessum dedit. Schoemannus quidem et O. Muellerus<sup>39)</sup> Apollinem vel defendere vel interpretari student. Censem Schoemannus<sup>40)</sup> oracula constituta esse, „um die göttlichen Satzungen zu verkündigen.“ Quaerat hic quispiam, quae sint divina instituta „göttliche Satzungen,“ num, ut alter alteri collum decidat? Evidem fateor nulla me conjectura assequi posse, ut intelligam, cur ejus dei sit, quem Jupiter Delphos mittat „προφητεύσαντα δίκαιην καὶ ἡγεμόνα τοῖς Ἑλλήσιν,“<sup>41)</sup> quemque praeter ceteros humanitati studere convenit, ut tam crudeliter munere suo fungatur. Quid? quod primo bello Messeniis victoram promisit, si virgo aliqua regiae stirpis Aepyti sorte ducta inferis immolata esset.<sup>42)</sup> Neque hoc tum solum factum est, sed multis annis ante Erechtheo, Atheniensium regi, qui ab Eumolpo, rege Thraceum, bello petebatur, prorsus similiter Pythium deum respondisse traditum est, filiam si immolasset, priusquam utriusque populi exercitus congrederentur, hostes superaturum<sup>43)</sup> Quo quid potuit fieri immanius, quid crudelius, quid foedius? Nae ista

thums Bd. III., p. 532 sq. et p. 542 sqq. — Welcker, griech. Götterl. Bd. II., p. 16 sq. — Bunsen, in libro: Gott in der Geschichte, Tom II., p. 279—286 de his rebus scit, quae scribi non possunt, quaeque possunt, nescit.

<sup>35)</sup> Herodot. V., 93; IX., 42.

<sup>36)</sup> Herodot. VI., 57; V., 90.

<sup>37)</sup> In qua re a Dunckeri sententia recedimus; cfr. ejus Gesch. d. Alterth. Bd. III., p. 542.

<sup>38)</sup> Thucyd. I., 118.

<sup>39)</sup> Gesch. Hellen. Stämme und Städte Bd. II., p. 337 sq.

<sup>40)</sup> Aeschyl. Eum. p. 75.

<sup>41)</sup> Alcaeus ap. Himer. or. XIV., 10.

<sup>42)</sup> Pausan. IV., 9, 2.

<sup>43)</sup> Lycurg. adv. Leocrat. §. 98 sq. Apollodor. III., 15. §. 4. — Cfr. Aelian. var. hist. XII., 28. Schol. Thucyd. I., 20.

medius fidius qui consideraverit 'et senserit, quot quantos quam incredibiles maiores et luctus inferre necesse fuerit, dubito, num eorum sententiam assensione comprobaturus sit, qui ut Welckerus<sup>44)</sup> aliquie Delphici oraculi auctoritate et cultum deorum adjutum et mores hominum politiores esse factos existimant. Quid? quod Apollo vel Pythia minis promissisque Orestem illum adegit, ut suae ipsius matris sanguine se adspergeret.<sup>45)</sup> At, inquies, tales illorum temporum mores fuerunt, ut caedem caedes sequi deberet. Et recte quidem, concedo, mores atrocissimos fuisse, at non possum videre, quid ab oraculo factum sit, ut mitiores fierent.<sup>46)</sup>

Ut oraculum mactandis singulis interdum delectatum esse apparet, sic non minus ei Graecorum inter se discordias et controversias laetitiae fuisse credideris. An fuit socordia et stupor, quod nunquam Graecos et Europaeos et qui Asiam incolebant, Pythia admonere voluit, ut concordiae inter se et paci operam darent? Quod tantum abest, ut de industria fecerit, ut ne cogitasse quidem unquam de ea re videatur. Quamquam quid erat facilius ad intelligendum, nihil esse, quod magis popularium vires frangeret et communem rerum statum in disserimen adduceret et turbaret, quam perpetuas discordias et sempiternas inter eos animorum disjunctiones? Quas discordias qui sedaret, nemo vel Pythia vel Apolline aptior erat. Etenim quum sapientissimorum viorum auctoritate ad Pythiae vel templi Delphici sacerdotum existimationem summa religionis et rerum divinarum rediret, iis autem rebus in primis Graeci semper dediti essent, illorum sacerdotum judicio permissum erat perficere atque evincere, quae et ad opes potentiamque totius Graeciae et ad communem omnium salutem conducere arbitrarentur. Omnino potuit sexcenties Pythia iratorum animos componere litigantesque in gratiam reducere, potuit ambitiosorum hominum conatus cupiditatemque dominationis refringere, potuit abalienatos dira imprecando castigare et ad officia sua reducere, potuit animosos fortesque confirmare, anxiis et animo abjectos consolari et erigere, labentes et titubantes fulcire, sustinere, munire, pigros ad majorem sollertia incitare et propellere, quid multa? potuit reipublicae rationes jussis atque effatis ita temperare et constituere, ut omnium animis consentientibus Graeciae nullum neque inter cives bellum neque extrinsecus imminens periculum pertimescendum esset.

Sed harum rerum Pythia aut nihil aut plane iis contraria. Et sicut Pythiam res Graecorum civiles aut stupiditate neglexisse aut dedita opera perdere voluisse manifestum est, sic alia quoque illius temporis oracula in his rebus Delphicum tanquam exemplar ad imitandum sibi propositum habuisse videntur. Omnia haec ut vere dicta esse perspici possit, videamus de oraculis, quae Persicis potissimum bellis aut paulo ante data esse Herodotus in primis narrat.

Ae primum Croeso a Cyro victo et Lydorum rebus a Persis profligatis, quum Jones et Aeoles graecae gentis qui in Asia habitabant, iisdem conditionibus, quibus Croeso

<sup>44)</sup> Griech. Götterlehre Bd. II., p. 17.

<sup>45)</sup> Aeschyl. Choephor. 1026 sq.

<sup>46)</sup> Hüllmann, Würdigung des Delphischen Orakels p. 97: „Sonach kann nicht gesagt werden, es sei von dem Orakel eine Milderung der Sitten bewirkt worden.“

paruerant, Persarum se ditioni permettere vellent idque Cyrus rejecisset, hi populi non sibi quidquam praesidii aliunde venturum esse rati, nisi si totius gentis arma conjunxissent, de communi consilio legatos Spartam auxilium postulatum mittunt. Quae legatio etsi frustra missa est, minime tamen Jones, viri fortes, animos demiserunt et soli se contra Persarum impetum defendere conati sunt, idque eo magis, quod Lydos quoque proxime subactos Pactyas quidam, vir strenuus, qui suos cives Persarum imperio parere non poterat pati, ad descendentum a Cyro permoverat. Potuit res procedere, praesertim cum Pactyas auri maximam vim in potestate haberet eoque et auxilia mercede conducere maritimisque incolis, ut secum adversus Persas pugnare vellent, persuadere posset. At Pactyas Sardes oppugnans, ubi resciit in propinquuo esse magnum Persarum exercitum contra se proficiscentem, fuga salutem petere coactus est et Cymen pervenit. Cymaei de tradendo Persis Pactya quum ab oraculo Branchidarum, quod prope Miletum est, semel atque iterum moniti essent, et nollent ipsi eum retinendo salute sua periclitari, Mytilenen eum miserunt indeque paulo post, navi Lesbum missa Chium transportandum curaverunt, quum Mytilenaeos id agere viderent, ut eum Persis traderent. Chii autem eum ad extremum, mercedem pacti agrum Atarneum exadversus Lesbum situm, Persis tradiderunt.<sup>47)</sup>

Pactya tradito bello eos Persae persecabantur, quos socios armorum habuerat, et plurimis Jonum urbibus, quae fortiter pugnantes restiterant, expugnatis, eos servitatem pati et imperata facere coegerunt.<sup>48)</sup> Apparet jam hic paululum, oracula Graecorum conatibus libertatis defendendae non admodum favisse. Simili modo fere eodem tempore aut paulo post Cnidii, natione Graeci et Lacedaemoniorum coloni, quum ex peninsula sua admodum in mare porrecta, ut melius se suaque ab hostibus defendere possent, isthmo non nimis lato perfodiendo insulam facere conarentur, oraculo Delphico consulto a Pythia versu trimetro hoc responsum tulerunt:

Ισθμὸν δὲ μὴ πνογοῦτε μηδ’ ὄρύσσετε,  
Ζεὺς γὰρ ν’ ἔθηκε νῆσον, εἴ γ’ ἐβούλετο.<sup>49)</sup>

Quasi vero hominis sit, nihil agere et omnia, quae natura generaverit, intacta relinquere. Itaque Cnidii a fodiendo destiterunt et Persis cum exercitu advenientibus ultro sese nulla inita pugna dediderunt.

Sic Jonibus et Asiaticis Graecis non sine culpa oraculorum libertas crepta est, quam etsi vix potuerunt retinere oracula, tamen eorum fuit quacunque poterant ratione providere, ut ne quidquam fieret, quo pugnantium animi debilitarentur, aut spe abjecta et viribus distractis diminutisque singuli in hostium potestatem se demittere cogerentur. Atque potuerunt facillime oracula vel eorum sacerdotes et vates, qua erant aliis in rebus calliditate atque astutia, effata sua semper ita formare, ut, quidquid evenitum erat, oraculi auctoritas valeret et tuta esset. Maxime autem Delphicum oraculum

<sup>47)</sup> Herodot. I., 154—160.

<sup>48)</sup> Herodot. I., 161—169.

<sup>49)</sup> Herodot. I., 174.

suscepisse magnum odium Graecorum et cum Persis consensisse videtur. Quid enim? praefracte et acerbe quinquaginta fere annis post, quum iidem Jones arma contra Darium, regem Persarum, sumissent, Aristagora Milesio Cares monente, ut societatem cum Jonibus coirent, Caribus oraculum Delphicum, ne eam societatem inirent, dissuasit his verbis:

*Πάλαι ποτ' ἡσαν ἀλικμοί Μιλήσιοι.*<sup>50)</sup>

Quo dicto, si nihil aliud, certe Carum alacritas in agendo retardata et debilitata est. Milesiis autem ipsis Apollo Delphicus calamitates praecinuit eas, quibus nihil fere terribilis aut atrocius cogitatione fingi possit. An potest quidquam esse, quod magis horrore perfundat, quam quum audiveris fore, ut ipse hostibus pro coena, pro cibo sis, id est, ut ipse ab hostibus edare, vel, ut magis animum advertas, ipse a saevissimis hostibus diductis fauibus vivus ac sentiens devorere? Habes enim inter alia haec:

*Καὶ τότε δὴ, Μίλητε, κακῶν ἐπιμῆχανε ἔργων*

*Πολλοῖσιν δεῖπνὸν τε καὶ ἄγλαὰ δῶρα γενῆσῃ.*<sup>51)</sup>

Nolumus reliqua penitus perspicere, quoniam haec satis superque demonstrant, quanto-pere Graecis Pythius Apollo propitus fuerit. Aut enim silentio talia praetermittenda sunt aut concedendum est, Delphicos sacerdotes, si quid aliud, certe non intellexisse, politicarum rerum rationes longe aliter, atque ipsi faciebant, tractandas esse. Atque si ea fere post evenerunt, quae oraculum praecinuerat, num quisquam ea in fatis fuisse affirmare volet? Neque enim ea pro fatis haberi possunt, quae impendent atque futura sunt, propterea, quod sunt incerta et vario hominum agendi modo varia ea evenire necesse est.<sup>52)</sup>

Quod autem illo tempore Milesiis oraculum praedixit, quae non admodum a veritate abfuisse posterum tempus docuit, potest id factum esse pluribus de causis. Nam nemo vir sanus Delphicos sacerdotes revera ulla divinandi singulari facultate aut arte instructos fuisse credet, nempe propterea, quod nulla talis est. Possunt aliqua ex probabili causa ac ratione colligentes oraculi praesides eo pervenisse, ut in quaque re conjectura facile cetera prosequerentur atque ita praeviderent, quid eventurum necesse esset. Bene enim qui conjicit, vatem hunc perhibeo optimum, ut est in versu illo

<sup>50)</sup> Schol. ad Aristoph. Plut. v. 1002 ibique Hemsterh. Duncker I. l. Bd. IV., p. 746.

<sup>51)</sup> Herodot. VI, 19.

<sup>52)</sup> Cfr. Imm. Herm. Fichte: Die Seelenfortdauer, Leipzig, 1867. §. 250, 251, 252. Ceterum sunt quaedam notiones vel cogitationes, quas inter se repugnare et, ut ita dicam, irrationales esse appareat; velut fatum et praepotens deorum natura, vel, ut brevius dicitur, omnipotentia. Qua de re quaestio oritur: potestne omnipotentia fatum tollere et removere? sine dubio non potest, quum factum est; an potest, quum impendet? at vero, si posset, non esset fatum, si non posset, non esset omnipotentia. — Dicamus igitur fatum id tantum esse ita, si quid factum est; nam quidquid factum est, infectum fieri nequit, et quod impendet, eatenus fatum esse nequibit, qua possibilitas, ut novo verbo utar, adest, ut aliter fiat. Quae cum ita sint, Graeci fatum, naturae ejus admodum convenienter, forma temporis perfecti εἰ μαρτυρήν dixerunt, quod idem in Latinorum fato animadveritas percipiasque velim.

apud Ciceronem.<sup>53)</sup> Potest factum esse temere et fortuito, ut oraculum recte praediceret, prorsus ut in proverbio dicitur:

*"Ἄν πολλὰ βάλλεις, ἀλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς."*<sup>54)</sup>

Nam plurima a Delphicis sacerdotibus esse fabricata vaticinia falsa, id est, quae rebus et eventis refellerentur,<sup>55)</sup> quum in natura rerum situm est, tum ex iis conjici potest, quae Cicero tradit de Chrysippo Stoico, qui oraculis Delphicis totum volumen implevisse dicitur partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis et obscuris, partim ambiguis, qui liber utinam hodie existeret, profecto multo melius certiusque de oraculis deque illorum sacerdotum artibus et tricis judicare possemus. Ceterum quis nescit, quem admodum adhuc nostris temporibus fieri soleat? Sagae et mulieres fatidicae scilicet, quum a stultis et fatuis frequentantur et de rebus, quas hi creduli impendere sibi putant, consuluntur, adeo multa promiscue non intermisso plerumque spiritu effundere solent, ut fieri non possit, quin quaedam ex iis post, eventis cognitis, vere dicta esse fatendum sit. Quemadmodum igitur, quae sic vere praedicta sunt, memoria retinentur, falsa oblitione obruta jacunt, et sicut ob eam causam tales fatidicae aliquam sibi famam ac nomen colligere possunt et celebrantur, sic haud scio an similiter apud Graecos factum sit. Quare quod de vaticinationibus omnino nescio quis recte censuit, earum quae contra ac dictum esset evenissent, nullam fieri mentionem, contra quae vatum praedictiones exitu rerum comprobatae essent, eas valde jactari, hoc idem de oraculis in universum dictum esse volumus.

Ut autem videas, quam iis, quibus aequa fere fortuna invidebat, Apollo non aequaliter consuluerit, velim ista oracula, Jonibus Milesisque data compares cum iis, quae a Delphico deo aliquot annis ante Croeso Lydisque data accepimus. Utrique contra hostes eosdem Persas praepotentissimos pugnaverant, utrique devicti et sub hostium potestatem redacti gravissimas poenas temeritatis dederunt, atque haud scio an graviores etiam Croesus. Nihilo tamen secius huic favit, Graecis deus succensuit. Nimirum eximia Milesiorum aut etiam Jonum dona deo Delphico missa nulla commemorantur, Croesi plurima et maxima, quamquam oraculum bello quodam non iniquo illis animo respondisse traditur.<sup>56)</sup>

Similiter vel potius pejus etiam animata erat Pythia in Graecos, quum Xerxes iis bellum inferret. Quum enim periculosissimo illo tempore, quo salus patriae in summum adducta discrimen videretur, complures Graecorum populi desperatis suis rebus ad Persas desciscerent,<sup>57)</sup> alii dubii haererent, quid? nonne tum Pythiae auctoritatem intercedere oportuit, eludere conantes castigare et punire; detestarique exempli causa minas

<sup>53)</sup> De divin. II., c. 5.

<sup>54)</sup> Aristot. de divin. per somnum c. 2.

<sup>55)</sup> Cfr. tale quoddam oraculum apud Apollodor. III., 15, 8, ubi *κατὰ λόγιον* quinque mulieres, et quidem frustra, ab Atheniensibus immolatas esse legimus!

<sup>56)</sup> Herodot. I., 19 sq.

<sup>57)</sup> Herodot. VII., 131 sq. ibid. 138.

et pericula in capita eorum, qui patriae proditores sua ipsorum utilitati potius, quam communis omnium saluti consulere vellent. Contra ea firmare Pythia debuit incertos et dubios et fluctuantes; debuit patriae et libertatis amantes laudare et colere, debuit honoribus eos, nominibus, titulis, praemiis, statuis aliisque plurimis illustrare reliquisque imitandos proponere et commendare, ut hos intuentes periculum quodque subire et mortem oppetere pro republica malent, quam patriae libertate perdita aliorum arbitrio permissi turpem vitam degere. Haec Pythia si fecisset, merito rerum gerendarum peritam eam fuisse et Graeciae saluti consuluisse dixeris. At dii boni, quam ab his diversa molita est.

Nam quod Pythia vel oraculi sacerdotes suis civibus deum consulentibus responderunt, precibus votisque placarent ventos, hos enim Graeciae fore adjutores,<sup>58)</sup> potuit id quidem valere ad superstitionem fovendam, revera autem nihil auxilii parare. Melius rectiusque fuerat monere et objurgare Corcyraeos, qui se Graecis studere simulantes animis alia agitabant.<sup>59)</sup> Quod autem Cretensibus, qui ita se ad belli societatem Graeciae defendendae applicare volebant, si id sibi ex usu foret, durissimis verbis id consilium dissuaserunt, atque eos ita prohibuerunt auxilia mittere,<sup>60)</sup> pravum et perversum, ne dicam demens erat, ab iisque duntaxat ignorari potest, qui Delphici oraculi fautores res de eo traditas praejudicata opinione recipere consueverunt.<sup>61)</sup>

Non minus vituperanda est Pythia propter oraculum eodem fere tempore aut paulo ante Argivis datum, quo illi quoniam jubeantur τὸν προβόλαιον intus habere et capitum cavere, usi sunt ad postulanda quaedam a Lacedaemoniis eo consilio, ut, si non impetrassent, suo more in otio vivere possent. Verba oraculi sunt haec:

Ἐχθρὲς περικτιόνεσσι, φίλ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,  
εἴσω τὸν προβόλαιον ἔχον περιπλαγμένος ἡσο  
καὶ πεφαλήν περιίλαξος κάρη δὲ τὸ σῶμα σώσει. <sup>62)</sup>

Ita Pythiae effatis Graeciae populi et civitates detinebantur, quo minus vires suas coniungerent et armis cum hostibus decernere vellent; et sacerdotes Delphicos id egisse haud incredibile est, ut Graecis omnibus timore percussis Graeciam nudam paene et a defensoribus destitutam Persarum potestati traderent.<sup>63)</sup> Nam Spartanis quoque et Atheniensibus, qui soli supererant communis libertatis propugnatores et quasi patrimonii sui vindices, Pythia oraculis editis tam dira impendere dixit et minata est, ut eos non omnem spem abjecisse et de statu suo declinasse mirere.

<sup>58)</sup> Herodot. VII., 178.

<sup>59)</sup> Herodot. VII., 168.

<sup>60)</sup> Herodot. VII., 169.

<sup>61)</sup> Cfr. Ephorus ap. Strabon. IX., p. 647: ὅτι εἰς ἡμερότητα προκαλεῖτο καὶ ἐσωρρόντες τοῖς μὲν χοηστηριαῖσιν, καὶ τὰ μὲν προστάττον, τὰ δὲ απαγορεύων, τοὺς δὲ οὐδὲ ὄλως προστέμενος.

<sup>62)</sup> Herodot. VII., 148.

<sup>63)</sup> Quaesiveris, quo jure Prellerus dicere potuerit haec: „So übt es besonders zur Zeit der Perserkriege die wohlthätigste Wirkung, zur Einigkeit gegen den Nationalfeind zusammen zu halten; in Pauly's Real-Encyclop. d. class. Alterthw. Tom II., p. 908.

Etenim Spartanis jam initio hujus belli oraculum consulentibus Pythia responderat, aut eversum iri Lacedaemonem a barbaris, aut regem ipsorum interitum.<sup>64)</sup> Neque enim, adjecerat oraculum, taurorum eum robur aut leonum contra pugnantium vehementia sustinebit. Jovis enim habet vim et ejus impetus nego cohibitum iri prius, quam horum alterutrum perfecerit. Nec vero convenit nobis cum Naegelsbachio,<sup>65)</sup> qui hoc oraculo censet Pythiam revera mandare voluisse Leonidae, Lacedaemoniorum regi, dummodo patria salva maneret, mortem occumbere ne dubitaret. Quid enim? quod Leonidas in Thermopylis voluntariae se morti obtulit, num quidquam ex ea re utilitatis Graeciae redundavit? — Qui si se recipere et vivere voluisse tum, quum angustiis illis a Persis circumventis locus non diutius teneri poterat et statio deserenda erat, saepius etiam patriae usui esse potuisset.<sup>66)</sup> Atque Leonidas quidem nescio quomodo jam antiquius propter id facinus ingentem gloriam adeptus est, sed haud scio an domensis sit potius et stulti, quam viri fortis, occasione data vitam servandi nihil proficien tem mori velle. Verum enim vero Pythia locuta erat et Pythiae tanquam deo confidendum ac parendum erat. O maculam illam sereno antiquitatis vultui adspersam, o anilem superstitionem, quam saepe tu nimia credulitate animos imbuisti, quam saepe tu hominum imbecillitatem occupasti, quot quales quam horribiles caedes tibi imputandae sunt! certe tibi etiam Leonidae mortis culpa attribuenda erit, sicut tum Atheniensium animis nimium et non necessarium terrorem injecisti! —

Etenim oraculum, quod Pythia Atheniensibus dederat, terrore et atrocitate omnia fere, quae unquam oracula edita erant, superavit, adeo, ut operaे pretium sit, totum illud hue transscribere. Legitur apud Herodotum:<sup>67)</sup>

Ω μέλεοι, τι κάθησθε; λιπών φεῦγ' ἐσχατα γαῖς  
δώματα καὶ πόλιος τροχοειδέος ἄκρα κάστρα.  
Οὐτε γὰρ ή κεραλὴ μένει ἔμπεδον, οὔτε τὸ σῶμα,  
οὔτε πόδες νέατοι, οὔτ' ὁν χέρες, οὔτε τι μέσσης  
λείπεται, ἀλλ' ἄξητα πέλεται. Κατὰ γάρ μιν ἐρείπει  
πῦρ τε καὶ ὁξὺς Ἄρης, Συριγγεὺς ἄρμα διώκων.  
Πολλὰ δὲ καλλίστοι πυρογόματα, κού τὸ σὸν ολον  
πολλοὺς δ' ἀθανάτων νηὸν μαλεῷ πυρὶ δώσει,

<sup>64)</sup> Herodot. VII., 320.

<sup>65)</sup> I. l. p. 186.

<sup>66)</sup> Nam recte noster Schillerus:

Ein Mann ist viel werth in so theurer Zeit;  
Ich möcht' ihn nicht mit leichtem Sinn verlieren.

Ceterum velim diligenter consideres, quid dixerim: tum, quum angustiis illis a Persis circumventis locus non diutius teneri poterat. — Unum illud quaevisser fortasse, num Leonidas, si voluisse abire, incolumis id facere potuisset. Quod quidem Herodotus (VII., 219 sqq.) non negat; quamquam quod rex in statione manserit, summopere id probat ingentemque ei ea re gloriam partam esse censem, propterea, quod eo facinore Spartam ab interitu servaverit. — Quae Herodoti opinio docet non minus scriptorem ipsum, quam reliquam multitudinem, oraculi effatis credidisse.

<sup>67)</sup> VII., 140.

οἱ πον τὸν ἴδωπι θεούμενοι ἐστήκασι,  
δείματι παλλόμενοι, κατὰ δὲ ἀριστάτους ὁρόφοισι  
ἄλμα μέλαν πέχυται, προϊδὼν κακότητος ἀνάγκας.  
Ἄλλ' ἵτον ἐξ ἀδύτοι, κακῶς δὲ ἐπικιδύνατε θυμόν.

His auditis, ut apud Herodotum est, Atheniensium legati in luctus maximos incidunt. Qui quum propter nunciatam calamitatem prorsus animis essent fracti et abjecti, Timon quidam Delphensis, magna inter cives suos auctoritate, iis suasit, ut sumpto oleae ramo aliisque supplicum velamentis iterum sacrarium intrarent et denuo oraculum consulerent. Cui obsecuti illi quum dixissent: O rex Apollo, ede nobis melius de patria oraculum, hos supplicum ramos respiciens, quos porrigentes tibi accedimus, aut ex hoc penetrali non abibimus, sed hic in vestigio manebimus, usque dum animas efflaverimus. Haec ubi dixerunt, alterum oraculum Pythia eis edidit hoc:<sup>68)</sup>

Οὐ δύναται Παλλὰς Άλι Όλύμπιον ἔξιλάσασθαι  
λισσομένη πολλοῖσι λόγοις καὶ μῆτιδι πυκνῆ.  
Σοὶ δὲ τόδ' αὐτις ἐπος ἐρέω ἀδέματι πελάσσει.  
Τῶν ἄλλων γὰρ ἀλισκομένων ὅσα Κέρωπος οὐρός  
ἐντὸς ἔχει κευθμάτων τε Κιθαιρῶνος ζαθέοιο  
τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῦ εὐρύσπα Ζεὺς  
μούνον ἀπόρθητον τελέθειν, τὸ σὲ τέκνα τ' ὄντεσσι.  
Μηδὲ σύ γ' ἵπποσινην τε μένειν καὶ πεζὸν λόντα  
πολλὸν ἀπ' ἥπειρον στρατὸν ἡσυχος, ἀλλ' ὑποχωρεῖν  
νότον ἐπιστρέψας ἔτι τοι ποτε κάντιος ἐσσῃ.  
Ω θείη Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν  
ἥ πον σκιδναμένης Δημήτερος ἥ συνιούσῃς.

Primo adspectu videris multo hoc esse oraculum priore mitius ac lenius. Quum enim illud dixisset nihil intactum inviolatumque, nihil integrum a cladibus belli et ignium vastatione mansurum esse, hoc alterum effatum murum nescio quem ligneum inexpugnabilem fore affirmavit. Neque solum lenius hoc oraculum quam prius fuit, sed etiam alia de causa eaque non levi insigne nobis ad memoriam videtur. Nimirum apparet, id quod per se patet, nihil Pythiam earum rerum, quas impendere Atheniensibus dixerat, praescivisse. Nec solum nos id scimus, sed sine dubio Pythia quoque, id est, Delphici sacerdotes idem sciverunt. Quid enim erat, cur in secundo oraculo suam sententiam mutaret aliaque praediceret atque in priore dixerat? quasi vero simul cum Pythiae sententia res quoque ipsae eventurae mutatae essent? Quid erat, cur in altero tam obscuris, tam ambiguis tam flexiloquis dictionibus ac verbis uteretur, in quibus interpres ipsa interprete indigeret, si rerum futurarum bene praescia fuisset? Atque sine dubio in iis provisum erat, ut oraculum in utrumque rerum exitum accommodari posset.

<sup>68)</sup> Herodot. VII., 141.

Ex his quoque rebus perspici posse credimus, quam non dignum fuerit Delphicum oraculum laude ea, quam ei viri illi doctissimi supra nominati tribuere voluerunt. Quid enim? Pythia, id est, Apollinis Pythii sacerdotes talia Atheniensibus, solis fere tum communis periculi depulsoribus,<sup>69)</sup> praedixerant, quibus eorum animos debilitari ipsosque angoribus confici necesse esset. Quodsi unumquemque angoribus confectum minus idoneum esse constat ad fortiter aut agendum quid aut patiendum, sequitur, ut sacerdotes illi suis oraculis Athenienses ad libertatem suam defendendam minus idoneos reddiderint. Atque quoniam coepimus concludere rationem, quid obstat, quo minus in eo progrediamur, modo vere ac recte id fiat? Pergimus igitur: Qui alterum minus idoneum facit ad libertatem suam defendendam, ei nocet idque aut ignoratione rerum gerendarum et imperitia facit eaque ratione stultus est nec veram laudem meret, aut nocet alteri consulto et de industria, et hac ratione improbus est, et minus etiam laude dignus esse existimari poterit. Quorum alterutrum quum in Delphicum oraculum cadere necesse sit, breviter conclusum habes, quid de illo oraculo existimandum sit. — Neque enim Pythia aut Delphici sacerdotes patriae in illo rerum discrimine ad exitium praecipitanti subvenerunt et Graeciae libertati, ut incolumis maneret, prospexerunt; prospexit et subvenit Themistocles, eximii vir consilii, qui qua erat prudentia et dexteritate, illa ipsa Pythiae fraude usus est ad exsequenda ea, quae patriae utilia esse duxerat. Pythiam autem illis temporibus non solum studuisse Persis, sed etiam Themistocli, qui vatis edictum contra atque ipsa voluisset, interpretatus esset, iratam fuisse et succensuisse, satis probabiliter ex eo suspicere, quod, quum ab Aeginetis praemia, quae iis ob rem ad Salamina bene gestam tributa fuissent, claris verbis posceret,<sup>70)</sup> ea munera, quae Themistocles sua sponte Delphos portanda curavit aut pro se ipso aut velut singulare donum Atheniensium, repudiavit.<sup>71)</sup> Scilicet erubuit, ab eo dona accipere, cuius sollertia sua consilia peremta esse et ad irritum cecidisse senserat. An dona Pythiae vilia et parvi pretii esse videbantur?

Dictum est in ipso Graeciae flore Delphicum oraculum florere jam desiisse.<sup>72)</sup> Si hoc ita dictum est, ut jam tum oraculi dignitati multnm detractum fuerit, quia cum hostibus conspiravisse visum sit, concedi id quidem potest, at non minus aliquanto ante oraculum commisit, quo ejus dignitatem diminui necesse esset.<sup>73)</sup> Quod ostendunt ma-

<sup>69)</sup> Herodot. VII., 139 (§. 7.)

<sup>70)</sup> Herodot. VIII., 122.

<sup>71)</sup> Pausan., X., 14. Jam veteres omni ope atque opera enisos esse, ne quid vitii in Pythia haereret, inde apparet, quod fuerunt, qui, quod unius Themistoclis munera non admiserit, id propterea factum esse crederent, quod ei, munieribus acceptis, infinitum odium apud Persas, quibus mox supplicem futurum esse viderit, movere noluerit. — Immo improbis oraculum favebat. Pausaniae quidem dona accepit. Cfr. annot. 96.

<sup>72)</sup> Götte: Das Delphische Orakel p. 272. — Cfr. etiam Ernst Curtius: Griechische Geschichte. Tom. I. Berl. 1858, p. 458.

<sup>73)</sup> Cfr. K. O. Müller: Geschichten hellenischer Stämme und Städte. Tom. II., p. 339 (1<sup>ma</sup> ed.): „Ueberhaupt aber musste dieses Institut sehr an Würde des Charakters verlieren, als es sich herabliess, die verfänglichen Fragen, mit denen Krösus die griechischen Orakel versuchte, auf Schleichwegen zu lösen, um der reichen Geschenke und Spenden willen, mit denen der Lydermonarch Tempel und Stadt bedachte.“

xime oracula ea, quae ad Croesum Lydorum regem ejusque fata pertinent. Quae oracula quoniam magis quam alia quaelibet monstrare putamus cum cupiditatem lucri et quaestus faciendi, tum calliditatem et versutiam et fraudes et fallacias Delphicorum sacerdotum, quas excogitaverunt, ut oraculi auctoritatem tuerentur, digna ea credimus, quae diligentius examinemus.

Atque res, quam Herodotus latius perscripsit, sic fere gesta est: Croesus, qui magnam Asiae minoris partem suae ditioni subjecerat, graviter et inique ferebat non solum, quod Cyrus, novus Persarum rex, Astyagi, qui Croesi sororis maritus erat, regno ademto ipsum in sua potestate tenebat, sed etiam quod res Persarum crescere Cyrumque occupatis finitimis Persiae terris fines regni proferre animadvertebat. Qua de causa prohibitus, ne nimium opibus conatusque hostes invalescerent simulque injuriam Astyagi illatam ulcisci cupiens bellum adversus Persas parat. Sed priusquam copias contra hostes educeret, tentatis oraculis, quid divinando valerent, quum Delphicum prae ceteris maxime verax esse judicasset, ejus dei benevolentiam captans plurima et magnificentissima munera ei Delphos mittit simulque eos, quibus dona illa Delphos deferenda tradiderat, oraculum interrogare jussit, num adversus Persas Croeso exercitum educere ex usu esset isque sibi sociorum aliquas copias adjungere deberet. Ab oraculo responsum est, si bellum Croesus Persis inferret, magnum eum imperium esse eversurum; Graecorum exploraret potentissimos sibique eos socios adjungeret.<sup>74)</sup> Haec oracula quemadmodum edita erant Croesus, utpote qui nullo modo Pythiam vel deum Delphicum fallaciter agere putaret, sincera esse existimans speravit fore, ut Persarum imperium everteret, et quidem rectissime. Nam nescio an in tali aliqua re veteres recte: „ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur.“<sup>75)</sup> Et „credulitas error est magis quam culpa; et quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit.“<sup>76)</sup> Praeterea quis unquam deum crederet fallere velle, quis subdole, quis versute illum agere? Croesus igitur istis responsis vehementer laetus singulos Delphenses viritim duobus statribus auri donavit et tertio oraculum consulit, num diuturnum sibi imperium futurum esset. Quae Croesi interrogatio re vera ad respondendum difficilis erat majorque quam cui Pythiae divinandi vis par esset. Etenim nihil hic erat suadendum aut jubendum; erat simpliciter praedicendum, quid futurum esset. Quocirca nihil supererat, nisi ut responsum aliquod conficeretur, quod ad utrumque rerum casum accommodari posset. Itaque oraculum edidit, cum mulus Persarum vel Medorum rex factus esset, tum Croesus ne dubitaret fugere et animum spemque abjecere.<sup>77)</sup> Quibus verbis Croesus nuntiatis magis etiam quam antea gavisus est, ratus nunquam viri aut hominis loco mulum Persis imperaturum esse. At iterum se multoque magis quam unquam antea deceptum esse tum denique intellexit, quum omnium rerum potestate ac dominatu amissio serum erat. Croesi enim infeliciissimi fata nemo est qui nesciat.

<sup>74)</sup> Herodot. I., 53.

<sup>75)</sup> Cie. ad Quint. fratr. I., 1, §. 12.

<sup>76)</sup> Plancus ap. Cie. ad Divers. X., 23, §. 1.

<sup>77)</sup> Herodot. I., 55.

Atque hoc ipsum est, quod supra oraculum quaestus faciendi cupidum fuisse diximus. Nimia enim donorum et pecuniae aviditate factum esse appareat, ut oraculum eo delaberetur, ut responsa daret, quae quum non tam vaticinia, quam fraudes, praestigiae, nugae dicendae sint, cuique sana mente judicanti oraculum ridiculum reddiderunt; quocum cohaeret astutia ejus et calliditas et fallacia in fingendis fabricandisque responsionibus, ne consultorum a se voluntatem alienaret neve suae ipsius auctoritatis detrimenti quid ficeret. Velut in hac causa vidit oraculum posse oboriri periculum Croeso a Cyro Persisque, id est, posse fieri, ut Croesus a Cyro vinceretur; sed poterat etiam contra res cadere, id est fieri, ut Croesus Cyrus vinceret. Quod uter utrum victurum esset, quoniam a rebus pendebat, quae ut in temeritate fortunae positae minus praevideri poterant, collide oraculum ita respondit, ut qui nihil improbi suspicaretur, nihil in oraculi responso mali invenire posset. Et tamen nihilo minus provisum erat, ut si res aliter ac Croesus sperabat, evenisset, in hunc quoque eventum oraculi effatum quadraret. Itaque sacerdotes Cyrus mulum apte dici posse rati propterea, quod ei ex duabus diversis gentibus orto, matre Meda, patre Persa quasi quaedam similitudo cum eo animali erat, qui mulus nominatur, sortem excogitaverunt, in qua mulus in incertum rerum eventum oraculi vel Apollinis vel ipsorum auctoritati conservanda praeisdio fuit, cuius tamen muli post, si Croesus Cyrus viciisset, oraculum vix ullam mentionem facturum fuisse per se patet nec opus est id pluribus persequi. Enarrare autem hic nolumus, quomodo postea, quum Croesus, deo Delphico compedibus missis, graviter eum et acerbe accusaret suaque pernicie auctorem nominaret, oraculum proterve et sine ullo pudore mentiendo se expediverit seque in culpa fuisse negaverit.<sup>78)</sup> Nimirum dona et pecuniae missae erant, aurum et argentum acceptum, consultorioque licebat se putare stultum et baronem suumque dolorem perferre. — Croesus quidem deceptus est, at eum decepit deus Delphicus.<sup>79)</sup>

Ut in iis, quae modo commemoravimus, singulari quodam artificio ad divinandi famam conservandam oraculum et sacerdotes Delphicos usos esse videmus, sic erant etiam sortes quaedam certae et quasi loci aliquot communes, qui saepius usurpati esse videntur, qui etsi ipsis verbis praeciperent, quod oraculum in quaue causa fieri vellet, hoc tamen ipsum plerumque adeo vagum et liberum et multiplex et late patens erat, ut si alium atque oraculum praedixerat res exitum haberet, cuivis id potius quam oraculo vitio et culpae daretur. Velut illa sors Croeso edita, ut sibi potentissimos Graecorum socios adjungeret.<sup>80)</sup> — Quinam erant potentissimi Graecorum? — Cujus similis est ea, qua bello Samniti Apollo Pythius Romanos fortissimo Graecae gentis et alteri sapientissimo simulacra celebri loco dicare jusserset. Qua quidem in re quod senatores Pytha-

<sup>78)</sup> Herodot. I., 90 u. 91.

<sup>79)</sup> Cum his conferatur, quae habet Welckerus I. I. Tom. II., p. 18: „Die seit Vandale von so vielen Philologen — gehegte Ansicht, dass sie (die Orakel) nur aus menschlichem Betrug zu erklären seien, ist ohne alle Einsicht in die Sache und nicht der Redo werth.“ Nobis quidem Vandale acutius vidisse putatur, quam Welckerus, pace summi viri dixerim. Atque ipse Welckerus concedit fieri potuisse, ut Pythia interdum minus sincere egerit. Cfr. ejus Griech. Götterlehre. Tom. III., p. 120 annot.

<sup>80)</sup> Herodot. I., 53.

goram sapientissimum, Alcibiadē fortissimum judicaverant, Plinius id mirum esse dicit,<sup>81)</sup> illos patres Socrati cunctis ab eodem deo sapientia praelato Pythagoram praetulisse, aut tot aliis virtute Alcibiadē aut quemquam utroque Themistocli.

Huc referri etiam potest quadam ratione oraculum illud, quod Messenios inferis virginem immolare jussit.<sup>82)</sup> Quin etiam nescio an, ubi oraculum aliquod ipsum nomen sive personae alicujus sive loci sive alius eujuslibet rei indicarit, ibi semper plures aut personae aut loci aut aliae res ejusdem nominis fuerint et inveniri potuerint.<sup>83)</sup> Omnino oracula ita plerumque obscura, ita flexiloqua, ita ambigua erant, ita ancipitem habebant vel sententiam vel interpretationem, ut ea de causa Apollo ipse Loxiae, id est, Obliqui cognomine insigniretur.

Nae illi sacerdotes Delphici miri oraculorum exegitandorum artifices, quam valde interdum luserint consultores, ex illis quoque oraculis intelligi potest, quae Pythia, ut alia omittamus, Spartanis edidit eo tempore, quum legibus Lycurgi acceptis ipsi viribus aucti Arcadios suae ditionis facere vellent. Ac primum quidem Pythia negavit se totam iis Arcadiam tradituram, ita tamen, ut ambigue dicens spem illis ficeret fore, ut partem aliquam ejus terrae cum Tegea urbe in suam potestatem redigerent. Itaque bello Tegeatis illato quum Spartani semper inferiores fortuna discederent nec iis oppidi potiundi facultas fieret, iterum missis Delphos consultoribus oraculum sciscitati sunt, quemnam deorum placarent, ut bello superiores Tegeatis futuri essent. Quibus Pythia non solum praecepit, Ossa Orestis, filii Agamemnonis, Spartam asportarent, sed etiam Tegeam iis nominavit locum, ubi ossa illa sepulta essent. Quo oraculo num quidquam aliud dictum erat, nisi id ipsum, si habere oppidum et subigere vellent, oppidum ipsum intrandum, id est, expugnandum esse? quo quidem verius nihil et prudentius Pythia dicere potuit. Neque enim fieri posse videbatur, ut corpus Orestis Tegeae conditum inde Spartam afferretur, nisi ante urbē illa expugnata esset. Sic interdum astutus stulto aliquid suadet ut faciat ad consequendam aliam rem, nec hic videt id ipsum, quod alter susserit, fieri non posse, nisi ante res ipsa, de qua agitur, effecta sit. Scite igitur oraculum verba dedit et latuit, et quod in se Spartanorum cogitationes convertit minusque illa verba suspecta reddidit, nihil erat aliud nisi clari hominis nomen quasi arte magica hominum animos devinciens. Nam quod Herodotus, qui in hac re enarranda suo more multus est,<sup>84)</sup> paulo aliter eam accidisse tradit, vide, né quae vera hujus rei fuerit ratio, non satis exploratum habuerit, id quod magis etiam apparebit, si cum hoc oraculo aliud ejusdem generis comparare volueris, quo Pythia post bella Persica Athenienses adire Scyrum insulam volentes inde Thesei ossa, quae ibi sepulta erant, Athenas transportare jnssit,<sup>85)</sup> quod quum fieri non posset, barbaris locum tenentibus, priusquam insula ipsa expugnata esset,<sup>86)</sup> conjicere licet oraculo consulto Apollinem hic quoque vafre respon-

<sup>81)</sup> Nat. Histor. XXXIV., 12. — Cfr. etiam Plutarch. vit. Solon. c. 4. Pausan. IV., 24, 1.

<sup>82)</sup> Pausan. IV., 9, 2.

<sup>83)</sup> Cf. Herodot. IV., 76—80.

<sup>84)</sup> Ib. I., 66.

<sup>85)</sup> Plutarch. vit. Thes. c. 36.

<sup>86)</sup> Cf. Diodor. Sicul. XI., 60.

disse eodem modo, ut paulo ante exposuimus. Sed haec hactenus. Non enim juvat longius persequi perplexa Delphicorum sacerdotum commenta et ambages, quas quoniam tantum non ubique demonstrari potest fuisse nihil fere nisi fallacias, fraudes, nugas, ineptias, mirum est hic quoque esse, qui hanc oraculorum ambigue et obscure dicendi consuetudinem, quam nescio quo jure symbolicam vocant, si minus laudare, at probare et defendere conentur.<sup>87)</sup> In qua tamen re quas rationes afferunt, eae valde infirmae ac leves sunt. Quasi lingua inventa sit, ut, quemadmodum nescio quis dixit, homines cogitationes suas ac sensa occultent iisque tenebras obducant. Quisquis enim est, qui suscipiat res futuras praedicere, aut bene praescius sit futuri oportet,<sup>88)</sup> ne cogatur adhibere latebras obscuritatis sectarique tenebras et verborum praestigias, aut prohibere non poterit, quominus, a posteris certe, irrideatur et in nugatorum numero existimetur. Itaque mirum quantum in hac re viri docti halucinantur; in quos valet, quod Cicero dicit:<sup>89)</sup> „Quidvis malle videntur quam se non ineptos.“ Nam in hac re qui Pythiae patrocinium suscipere ejusque causam defendere volunt, vereor, ne hodie digni sint, qui iisdem artibus decipientur, quibus Delphicos vates olim mortalium credulitati illusisse manifestum est.

Delphicum oraculum communem Graecorum labem iisque dedecori et exitio fuisse declarasse nobis visi sumus. Etenim quae ejus recte facta laudantur, aut pauca sunt aut sacerdotum suis commodis inserviendi studio profecta, aut etiam extiterunt ex officiis, quae colere et hominibus praestare commendareque dei ipsius ministros decebat et consentaneum erat. Velut Glaucum quandam Lacedaemoniuu Pythia quum gravissimas poenas de perjuris capere deos consuesse docuisset, permovit, ut a jurejurando desisteret, quo Milesios quosdam pecuniis apud eum depositis defraudatus erat.<sup>90)</sup> Sic oraculo laudi ducitur, quod, qui supplices deorum ad aras confugerint, eos violari vetando a persecutione saepe tutos praestiterit.<sup>91)</sup> Verum quum non semper oracula nec ubique tali modo praesidio esse vellent supplicibus<sup>92)</sup> et ut vivere liceret, obsecrantibus, admodum multum de hac oraculorum laude deminui concedendum erit. Praeterea, quum sine discrimine Pythia cujuslibet, probus an nequam esset, tutelam accepisse videatur, certe scelera hoc modo et flagitia et dedecora et vitia non tam extirpata aut recisa, quam aucta, culta, adjuta, corroborata esse necesse est. Pausaniam quidem illum Graecorum apud Plataeas adversus Persas ducem etiam mortuum deo Delphico curae fuisse Thucydides<sup>93)</sup> aliique<sup>94)</sup> memoriae prodiderunt, quamquam Pausanias dum vivebat, non solum vitiis se inquinavit, verum etiam Graeciae libertatem barbaris proditus erat<sup>95)</sup>

<sup>87)</sup> Prellerus in: Pauly Real-Encyclop. d. class. Alterthmw. Bd. II., p. 907.

<sup>88)</sup> qualis esse nemo potest.

<sup>89)</sup> De divin. II., c. 57.

<sup>90)</sup> Herodot. VI., 86. Götte I. l. p. 265.

<sup>91)</sup> Götte I. l. p. 264.

<sup>92)</sup> Cfr. Herodot. I., 157—160.

<sup>93)</sup> I., 134.

<sup>94)</sup> Diodor. Sic. XI., 45 extr. — Num Socrates quoque iniquo judicio ab Atheniensibus necatus, Delphico deo curae fuit? Cfr. annot. 100.

<sup>95)</sup> Cfr. ejus vit. ap. Corn. Nepot. — Thucyd. I., 128—137. Plutarch. vit. Cim. c. 6.

Scilicet tripodem aureum ex praeda hostibus ablata Apollini Delphis ponendum curaverat epigrammate inscripto: *Ejus victoriae gratia hoc monumentum Pausaniam Phoebo dedicasse.*<sup>96)</sup> Ex quo verissime judicaveris magna inter eos officia intercessisse, quibus dei sacerdotes ut ita agerent, adducti sint. Quare vide, num similia id genus officia intercesserint inter Apollinem et Lycurgum, Spartanorum illum legislatorem clarissimum, cui Pythiam in legibus suis civibus ferendis non defuisse veterum scriptorum testimonii inter omnes constat.<sup>97)</sup> At vero Solonem inter et Pythiam officia intercesserant. Notum est enim Pythiam Solonis inceptis profuisse, quum publicis et privatis rebus ordinatis et legibus temperatis Atheniensibus rerum potiundi viam muniret.<sup>98)</sup> Verum non minus notum est eximiam Solonis operam in Pythiae auctoritate sustentanda exstisset illo tempore, quum Cirrhaei non nefas ducerent et Apollinis jura imminuere et in ejus possessiones manus porrigeret.<sup>99)</sup>

Eandem fere causam crediderim, cur Pythiae responso Socrates omnium sapientissimus judicatus fuerit.<sup>100)</sup> Nam Socratem quoque scimus non solum ipsum tribuisse plurimum Apollini,<sup>101)</sup> sed etiam alios semper in rebus ad religionem pertinentibus ad dei illius auctoritatem delegasse. Quod quantopere ad existimationem oraculi famamque ejus servandam interfuerit, tum demum recte judicabimus, quum meminerimus fuisse jam tum, qui oraculis neglectis et spretis suum quisque judicium sequi mallerent.<sup>102)</sup> Praeterea quis nescit, qualis oraculorum derisor Aristophanes poëta fuerit?<sup>103)</sup>

De coloniis, quas Graecos non nisi auspicato, id est, consultis oraculis mittere solitos esse constat, ne opus quidem est, ut pluribus exponamus. Quum Graeciae populi admodum cum humanitatis cultu et morum ingenique mansuetudine, tum vitae elegantia et artium litterarumque studiis inter omnes antiquitatis nationes praestarent, quasi a providentia Graeci videbantur esse designati, qui ad ceteras gentes has mansuetiores musas perferrent iisque harum rerum praeceptores existerent. Atque hoc ipsum factum est per colonos illos, qui domo deducti et saepissime in ultimas prope terras missi illuc transferebant, quidquid Graecorum consuetudine vitae atque usu probabatur et receptum erat. Sic his coloniis, quas Graecia emisit, vel ad humanitatem longe lateque diffundendam vel ad scientiam rerum amplificandam vel ad opes acquireendas fingi accommodatius nihil potuit. Quarum coloniarum deductiones quod Pythia adjuvare vel potius non impedire solebat, erat id quidem probandum decebatque eam magis, quam quod de nuptiis consulta anuis lenae instar nuptias quoque conciliare non gravabatur.<sup>104)</sup> Verum tamen qui de his coloniis insignia Pythiae merita fuisse credunt, in errore versantur.

<sup>96)</sup> Thucyd. I., 132.

<sup>97)</sup> Herodot. I., 65. Plutarch. vit. Lyc. c. 5.

<sup>98)</sup> Plutarch. vit. Solon. c. 9, 10, 14.

<sup>99)</sup> Aeschin in Ctesiph. §. 106—109.

<sup>100)</sup> Plat. Apolog. p. 21. A. Xenoph. Apolog. 14. Cfr. annot. 94.

<sup>101)</sup> Xenoph. Mem. IV., 2, 24; IV., 3, 16; I., 3, 1. Anab. III., 1, 5. Zeller. d. Philos. der Griech. II. Theil, 1. Abth. p. 58 u. 119. (ed. 2<sup>la.</sup>)

<sup>102)</sup> Cf. Plutarch. vit. Demosth. c. 20.

<sup>103)</sup> Cf. Götte l. c. p. 24 sq.

<sup>104)</sup> Pausan. IV., 24, 1.

Etenim primum quod his coloniarum deductionibus adversari nolebat, non potest ei esse magnae laudi, praesertim quum in hac quoque re suis se rationibus suisque emolumentis prospicere videret. Quae emolumenta cuius modi fuerint, quum per se facile conjici possit, non hic necessarium est, pluribus verbis exponere, deinde autem oraculum coloniis deducendis non nimis studii operaeque navasse vel inde appetat, quod in hac re Pythiam consultam eodem modo, quo solebat, obscure et perplexe locutam esse accepimus.<sup>105)</sup> Sed ut concedamus oraculum his coloniarum deductionibus etiam favissem, causa ejus rei facile reperiri potest. Primum enim in talibus quoque inceptis dona Apollini mittenda deo illi unquam denegata esse non credibile est. Tum autem poterat oraculum in his rebus etiam facilius quam in aliis ambigue dicendo famam suam et dignitatem servare. Quin etiam, si quando plane dicere voluit et nomina ipsa vel hominum vel rerum indicavit, tantum abfuit, ut his nominibus certa quaedam et definita persona aut res significaretur, ut consulentes saepe rebus confectis tum demum se ipsis nominibus in errorem raptos esse intelligerent.<sup>106)</sup> Quodsi deductae illae coloniae nihilo minus plerumque convalescere opibus et viribus brevi efflorescere solebant, factum est id ea de causa, quod, quamvis ambiguae saepe oraculi sortes et obscurae essent et in utramque fortunam significandam valerent, tamen iis, ut assolet, in meliorem sententiam acceptis dei auxilio se tutos fore coloni illi confidebant atque ita quasi divino praesidio sacro-sancti ad nullum non periculum et laborem subeundum paratissimi erant. Quae res igitur eos firmabat, non erat tam Pythiae aut dei ipsius auxilium aut profecta ab iis adjumenta, quam fiducia in ipsius dei fide collocata et hac una sola ratione concedendum est oraculum Delphicum coloniis constituendis ex usu fuisse. Quae quum ita sint, appareat in hac re Pythiam ne tentasse quidem, quod sine dubio consequi et efficere potuisset, si magis quae muneris sui officia essent, perspectum habuisset et in iis exsequendis cum cura aliqua et diligentia versari voluisset. Et nimis Pythia vel potius Pythiae, temporum successu se excipientes, potuerunt, ut quam brevissime dicamus, humanitatis, id est, Graeciae fines quoquo versus promovere longissime atque extendere. In qua re debuerunt progredi pedetentim et proximas semper terras tanquam accessiones prioribus eruditione jam subactis adjungere. Quo facto cura iis adhibenda fuit, ut novae cujusque terrae incolas vinculis quam firmissimis cum veteribus conjungerent, ita ut et utilitatum societate et rerum humanarum divinarumque communitate universi in unius populi corpus coalescere possent. Ut enim necesse est, qui multarum rerum scientia et optimis artibus eruditus et exstructus sit, is semper plus valeat et efficere possit, quam qui his rebus indigeat, sic Pythia velut dei voluntatis nuntia inter homines collocata et divina auctoritate instructa, profecto, modo ut animum voluisset intendere, nihil non efficere potuisset. Verum enim vero non erat Pythia ea, quae ad perfectam aliquam mente conceptam speciem suas cogitationes dirigere aut omnino ad communem omnium utilitatem afferre quidquam vellet, nec fecit interdum nisi quibus rebus politicum Graeciae statum, satis jam tum turbulentum, turbulentiorem etiam fieri necesse esset,

<sup>105)</sup> Cfr. Strab. VII., p. 320. Tacit. annal. XII., 63.

<sup>106)</sup> Herodot. I., 167 extr.

ut quum bello Poloponnesiaco Lacedaemonios coloniam Heracleam in agrum Trachinum deducere juberet.<sup>107)</sup>

At vero Olympia quod restituta sunt, oraculo Delphico debetur.<sup>108)</sup> Id, inquies, nonne praecclare factum? Quasi vero nulla dei ullius praecclare facta esse debeant.<sup>109)</sup> Quid autem? nonne in primis ejusdem dei opera factum est, ut bellum Peloponnesiacum coortum sit, illud bellum crudelissimum et maximum, quod Graeciae robur ac nervos si non fregit plane, at certe debilitavit? Ex quibus factis quod alterum ad arctius conjungendos inter se Graeciae populos valuit, alterum Graeciae exitium, perniciem, interitum praeparavit, temeritate quadam et socordia in rebus administrandis Pythiam esse ductam putandum est. Quae temeritatis et inconsiderantiae signa pari modo hic illic cognosci possunt. Sicut quum Croeso suassisset, ut potentissimos Graecorum exquireret cum iisque armis sociatis contra Persas pugnaret, ubi Lacedaemonii auxilia se Croeso missuros polliciti sunt, erat periculum fore, ne Cyrus inde causa petita inferendi Graecis belli Europam invaderet et terra domita insulsitatis poenas a Lacedaemoniis repeteret.<sup>110)</sup>

At vero praeceptum illud a multis commemoratum *γνῶθι σαυτὸν*, nosce te ipsum, quod in Delphico templo inscriptum fuisse legimus, quo in se quisque quasi descendere et animum suum noscere jubetur, nonne probat altiora quaedam, quam quae cerni oculis aut sub tactum cadere possint, ab oraculo esse significata, quae hominibus expetenda sint. Teneo, quorsum spectent, quae loqueris, nec me fugit hanc sententiam plerumque usurpari solere, quum oraculi praedicatores dei Delphici sapientiam laudibus extollere volunt.<sup>111)</sup> Et tamen illius sententiae gravitas nescio quomodo a reliquis Pythiae insaniis discrepat et dissentit, ut difficillime cum iis in concentum redigi possit. Hac difficultate, puto, nos liberat Plato, qui in Protagora<sup>112)</sup> hoc praeceptum cum aliis, ut *μηδὲν ἄγαν*, nihil nimis, ab illis qui dicuntur septem sapientibus suae sapientiae primitias Apollini Delphico in ejus templum consecratas esse ait. Nec tamen id dicit Plato nominatim, quis eiususque horum ingeniose dictorum inventor fuerit, quumque omnino quae de hac re veteres tradunt, inter se non consentiant, vix unquam satis explorari poterit, cui quaeque illarum sententiarum auctori tribuenda sit. Sed utecumque se res habet, certe illud sumere licet pro concessso et probato, illud *γνῶθι σαυτὸν* non fuisse Phemonoes, illius primae Pythiae,<sup>113)</sup> cui id Antisthenes quoque adscribit apud Diogenem Laertium,<sup>114)</sup> propterea quod feminae, ut sint ingenii dotibus viris non ad-

<sup>107)</sup> Thucydid. III., 92 u. 93 et ibid. V., 51 u. 52.

<sup>108)</sup> Pausan. V., 4.

<sup>109)</sup> Cfr. etiam Aelian. var. histor. III., 43. Herodot. I., 167.

<sup>110)</sup> Cfr. Herodot. I., 153.

<sup>111)</sup> „Die im Pronaos des Tempels eingegrabenen Sprüche, voran erkenne dich selbst und nichts zu viel, deren Beziehung zu den Griechischen Cardinaltugenden und die Beziehung der sieben Männer practischer Weisheit, besonders aber des Pythagores zu Delphi und Apollo sind Erscheinungen von der höchsten Bedeutung.“ Weleker a. a. O. Bd. II., p. 15 sq. — Quae aurea praecpta utinam Pythia ipsa considerare observareque voluisset!

<sup>112)</sup> p. 343 A sq.

<sup>113)</sup> Pausan. X., 5, 4.

<sup>114)</sup> Lib. I., p. 26. (Colon. Allobr. 1616.)

modum inferiores, tamen in philosophia non reperire putantur,<sup>115)</sup> quae nova dici possint; Pythias praeterea non nimis litteris exultas fuisse cum ex Plutarchi verbis<sup>116)</sup> conjicendum erit, tum ex rerum natura appareat, quae ab iis efflagitabat, ut faciles essent voluntatibusque sacerdotum ubivis semper obtemperarent, suo judicio usae quam minime. Ut igitur immerito aureum illud dictum *γνῶθι σαύτον* ad Pythiam aliquam relatum est, quam decorat, velut si sordidae vesti adsutus sit pannus aliquis purpureus ac late splendens, sic alterum illud dubitari non poterit, quin incredibile ac falsum sit, eandem illam Pythiam Phemonoen primam hexametrum cecinisse ejusque versus inventricem fuisse.<sup>117)</sup> Quod utrumque qui Pythias attribuere volunt, similiter nobis facere videntur, ac si nebulonem quis sapientem esse contendat. — Sed nolumus Pythiae vel Pythiarum inanitates longius persequi; satis enim superque ex iis, quae diximus, intelligi posse putamus, quid de Delphico oraculo judicandum sit. Id solum quis quaesiverit, num omnia ea, quae de oraculo illo narrantur, recte et ad veritatem tradita sint. De qua re in utramque partem certi quidquam affirmare omittimus;<sup>118)</sup> erat Delphicum oraculum fallax mendaxque. Itaque fieri potest, ut mendacia quoque ei aliquot subjecta sint in eoque adhaeserint, quae hodie parum cernere possumus. At etiamsi multa, quae ejus effata feruntur, sint commenta vatum aliorumque, qui quaestus aut alia quacunque causa hariolabantur, parvi id quidem refert, quum de vera ejus natura atque vi, quae mendaciis ipsis commentisque aliquatenus designantur, minime dubii esse possimus. Praeterea autem tantum undique luminis ei affertur, etiam a gravissimis scriptoribus, ut de eo nihil nos certi scire dicere non possimus. — Delphicum oraculum, id est, Delphici sacerdotes ad publicas res tractandas inepti erant in privatisque quod quaestus faciendi cupidi erant, etiam, id quod cum eo conjunctum esse solet, fallaciis fraudibusque operam dare cogebantur. Quod utrumque qui negant, aut nolunt ii perspicere, quid in hac re verum sit, aut oculis apertis fere, venia sit verbo, caeci sunt. Nihil autem bonum, nihil pulchrum et honestum, nihil laudabile, nihil utile et salutare hominibus dici potest, quod ut efficias hominum stultitiam et credulitatem requirere debes. Quare laudent alii oraculum illud, nos quidem — non possumus. — Iudex intelligens non ex aliorum sententia aut rumore et credula fama judicat, sed ubi facta suppetunt, his ipsis arreptis et diligenter cognitis suo in rebus judicandis judicio usus verum explorare studet.<sup>119)</sup>

<sup>115)</sup> Cf. J. G. Fichte, Grundlage d. Naturrechts. Jena u. Leipzig 1797. p. 225.

<sup>116)</sup> de Pythiae or. c. 22.

<sup>117)</sup> Pausan. X., 5, 4.

<sup>118)</sup> Constat Huellmannum, ne merito Delphicum oraculum accusari possit sordidae artis et fraudis, oracula adulterina et subditicia a veris et sinceris secernere conatum esse, in qua quidem re ita versatus est vir doctissimus, ut nulla fere omnino Delphici oraculi effata, quae vera essent, relinquenterentur. Cfr. ejus libr. „Würdigung des Delphischen Orakels“, p. 76 sqq. Cfr. Wachsmuth, Von der Aechtheit der Orakelsprüche, in ejus libro: Hellenische Alterthumskunde, pars 2. sect. 2. p. 306 sqq. (ed. 1<sup>ma.</sup>)

<sup>119)</sup> Multos Welckerus (l. l. Tom. II., p. 14 sqq.) et Naegelsbachius (l. l. p. 183 sqq.) veterum scriptorum locos commemorant, in quibus Delphici oraculi cum laudatione aliqua mentio fiat. Quasi vero isti loci aliud quid probare possent, quam quod omnes sciunt valde Graecos credulos fuisse et superstitioni obnoxios.